

noscitur, & in his semper vivere a fidelibus invenitur. Voluit ergo, & ob familiaritatem cum B. Augustino potuit accuratum dare Catalogum scriptorum hujus Præsulis. Ergo ad responsiones Hincmari exciperem. 1.) Possidium per ea, quæ numerari non possunt, intelligere Epistolas & Sermones, non integros libros; illa scripta minora vix ipse Autor numerare potest; quis vero dicat, scripta majora, quale est Hypomnesticon in sex libros divisum, numerari non posse? 2.) ad instantiam de libris de prædestinatione Sanctorum ac Bono perseverantiæ in indiculo Possidiano prætermittis regererem: Possidium inter scripta Augustini contra Pelagianistas referre *Contra quæstiones Pelagianistarum librum unum*, atque per hunc, ut mihi videtur, indicare illos libros, qui alias inscribuntur de prædestinatione Sanctorum & Bono perseverantiæ: Etenim inscriptiones librorum Veterum, sæpe non ab ipso autore profectas, variare non inusitatum est; Retractionum Augustini titulum fuisse *de recensione librorum* Possidius refert in Vita Augustini cap. 28. uni eidemque scripto nunc unum, nunc plure assignari libros ex ipsis Hypomnesticon libris patet, quos quamvis sex eorum vulgo numerentur, ceu unicum librum in articulos dividunt meliores manuscripti Codices, teste GARNERIO l. c. p. 257. Nec male quadrare videbitur Inscriptio Possidiana in libros Augustini de prædestin. sanct. & bono persever. si occasio illorum & contenta considerentur: PROSPER enim in Epistola ad Augustinum, qua ipsum ad scribendos istos libros permovit, quam etiam hac ipsa de causa Benedictini iisdem præmiserunt, quæstiones quasdam ex objectionibus Semi-Pelagianorum contra priora Præsulis Hipponensis scripta Anti-Pelagiana decerptas n. 8. proponit, earumque discussionem rogat; Augustinus etiam in libris ipsis quæstionum harum sæpius n. eminit, atque ad eas respondet, ut commodissime inscribi potuerint hi libri *contra quæstiones Pelagianistarum*. Equidem non ignoro BENEDICTI-

NOS